



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrum Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Oratio In Funere Clementis IX. P. M. Habita Ab Augustino Favorito, In
Basilica Vaticana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

O R A T I O
I N F U N E R E
C L E M E N T I S I X . P . M .

H A B I T A
A B A U G U S T I N O F A V O R I T O ,

In Basilica Vaticana.

Vix lacrymæ exaruerunt, quibus Alexandri VII. optimi, sanctissimique Pontificis mortem ex hoc ipso loco deslevimus, *Patres Eminentissimi*; cùm facta iterum vidua, sedet in tristitia Domina gentium, & alia accepta clades, quasi rescisâ gravissimi vulneris cicatrice, cogit nos non tam novum suscipere dolorem, quàm pristinum continuare, erepto nobis, erepto Christianæ Reipublicæ amantissimo Parente, Principe vigilantissimo, CLEMENTE NONO Pontifice Maximo.

Infra dolorem nostrum sunt verba, cùm supra omnem æstimationem sit calamitas, in qua & infaustos populi Romani amores, & nondum placatum terris numquam agnoscimus.

Verumtamen si rem perspicere attentius, & verum ferri volumus, non tam irasci nos decet nostro infortunio, quàm felicitati Ecclesiæ gratulari, cui illi Pontifices contigerunt, qui decedentes magnum Orbi Christiano desiderium, parem nominis gloriam posteris; huic autem Urbi, & præsertim mihi, uberem dolendi materiam, & triste hoc officium relinquere.

Not.

Non hîc ego de ornatu orationis, neque de componendo ad mœstitiâ vultu, sonoque vocis, magnopere laborabo: cùm nemo sit quantumvis eloquens ac disertus, qui vel ad tanti Pontificis gloriam addere dicendo, vel de nostra calamitate lugendo detrahere quicquam possit. Quamquam quodnam in funere Romani Pontificis laudationis genus illustrius, quàm fluentes per ora Quiritium lacrimæ, & miseri ejulatus passim per compita Urbis lamentantium, illum pauperum, illum calamitosorum Parentem; illum securitatis publicæ custodem; illum dignitatis Ecclesiasticæ vindicem; illum Apostolicæ charitatis reparatorem; illud Christianæ Reipublicæ columen; illas generis humani delitias, mutum, & extinctum jacere? Neque lamentantur solum, sed quando vota pro ejus incolumitate populariter suscepta in irritum cecidere; fruentem nunc æterno laborum suorum, sanctæque actæ vitæ præmio, debitis laudibus, & faustis precationibus prosequuntur.

Obversatur scilicet eorum oculis auræ illa dies, quâ vix Pontifex renuntiatus, sui in nos amoris impetum moræ impatientem effudit, laxatâ liberaliter annonâ; imminutis vectigalibus; novo instituto cœtu Patrum ad levanda onera populorum. Recurrunt animo subitæ illæ excursionés, quibus senex valetudinarius, turbido sæpe cælo, convolabat, vel ad Sanctorum Martyrum sepulcra, ut divinam bonitatem accuratis precibus, & largè profusis lacrimis populo Christiano propitiaret: vel ad ægrotorum hospitia, ut infirmaretur cum infirmantibus, dexteramque terrarum orbi regendo assuetam vilioribus officiis admoveret. Meminerunt, quo animi studio, ac ardore, non in Reip. solum, sed in singulorum quoque salutem, & commoda excubaret. Quàm esset aditu fa-

cilis; quàm cum infimis quoque humanus, & comis; quàm erga omnes liberalis! Quàm patientiâ, Vir animi magnitudine, fortunâque omnium maximus, abjectissimi cujusque de populo preces plerumque ineptissimas, molestissimasque statis diebus exciperet, ac vel re ipsâ impleret, vel, si hoc non posset, aliquâ ratione consolaretur. Quæ sanè eò gratiora in vulgus erant, quòd fieri à CLEMENTE constabat, non ad inanem ostentationem virtutis, neque cupiditate mortalis gloriæ; sed uno instinctu divinæ indolis suæ. Testis Edictum illud memorabile, quo vectigalis abrogationem, Alexandri præscripto nomine, suo suppresso, evulgavit. Testis etiam, ut alia hujus generis multa præteream, sumptuosa illa instauratio Pontis Ælii, in quo nullum nominis, vel gentis suæ monumentum permisit incidi: quod abstinentiæ genus de nullo alio Principe, quòd sciam, quantumvis magnanimo, quantumvis modesto, ac sapiente memoratur.

Neque verò his à me breviter indicatis de inaudita CLEMENTIS in hanc Urbem, & subjectos Urbis populos charitate, minora sunt, quæ in universæ rei Christianæ bonum patravit, si ea vel vobis otium esset audire, vel mihi necessarium commemorare.

Natus nobili Etruriæ Urbe, ex clara familia & locuplete, postquam sub sanctissima Parentum disciplina literis, & pietate egregiè imbutus adolevit, ad Urbem venit. Introductus in virorum præstantium amicitiam, brevi morum suavitate, & ingenii eruditione, omnium sibi amorem, plausumque conciliavit. Quamobrem invitatus in Aulam Pontificiam omnium bonarum artium hospitem, & patronam, eò paulatim, per varios honoratissimorum munerum gradus, incredibili virtute pervenit;

nit; ut egregius ille ingeniorum non modò fautor, sed etiam æstimator Urbanus Pontifex, ubi in difficultatibus rerum maximarum nodus aliquis vindice dignus incidisset, ejus explicandi rationem à CLEMENTIS consilio inprimis exquireret: cùmque ab immensa curarum mole aliquam remissionem animi quæreret, nulla in re magis, quàm in familiari CLEMENTIS consuetudine inveniret, delectatus præsertim mirâ illius ad sacram Poësim dexteritate, in qua se Gregorii Theologi aliorumque veterum Patrum exemplo aliquando exercebat, tantâ cum Romani Theatri, atque universæ Italiæ approbatione; ut in ea facultate sæculi sui facilè princeps & esset, & haberetur. Ejus autem in Latina facundia splendorem, & copiam, ac spectatam longo rerum usu prudentiam, fidemque tanti fecit; ut cùm hæc Aula ingenti virorum doctrinâ ingenioque præstantium copiâ floreret; illum tamen præ omnibus elegerit, qui epistolas ad Principes viros Pontificio nomine exararet. Quo quidem in munere tuendæ Pontificii nominis dignitati maximè opportuno, ita se gessit, adeòque demeruit animum illius Pontificis verè Maximi; ut is ad maturandos CLEMENTI, majore cum gloria, supremos Ecclesiæ honores, Tharsi Archiepiscopum creatum in Hispaniam legaverit Nuntium Apostolicum. Ubi quàm præclare functus officio suo fuerit, vel ex eo cognosci potest, quòd & de Sedis Apostolicæ auctoritate optimè meruit, & Philippus Rex Viri ingenio, moribusque mirificè captus, amplissimos illi reditus obtulit, clarissimas Insulas, & Regiam ad Romanam Purpuram commendationem. Quæ tamen ille, actis, ut par erat, tanto Regi gratiis, eadem virtute, quâ meruerat, recusavit. Ex Hispanica sanè legatione novum decus, & ante hanc diem

inauditum retulit in Italiam CLEMENS: quòd divitem Provinciam dives ingressus, pauper egrediens ditiorrem quodammodò reliquit. Visus est autem sibi referre etiam ad lares paternos opulentum patrimonium, derivato suis apud religiosissimum Regem officiis, perenni, atque uberi fonte auri Siculi, in Liberianam Basilicam, cujus erat Canonicus: Cui quidem Basilicæ rediens ex Hispania ita se totum addixerat, conductâ etiam propè eam domo, nihil ut haberet antiquius, more magnarum mentium, quàm ut è specula Esquilina decumanos hujus Aulæ fluctus securus despiceret, & prorsus abjectâ rerum humanarum curâ, in divinarum contemplatione tacitè confenesceret.

Verùm Innocentii Decimi mors, ejus desiderium & spem fefellit. Nam cùm sacrum Collegium vacantem Urbis præfecturam committere vellet alicui viro, qui ei, periculofissimo tempore, regendæ esset idoneus; concepit subitò oculos in Tharsi Archiepiscopum, cui integrum non fuit tam constanti de se judicio, ac tanti Senatûs voluntati resistere: coactusque est privatam suam quietem necessitati publicæ posthabere. Creato autem Pontifice, in ejus Interregni Comitibus, Alexandro Septimo, cùm is incredibili de se suâque virtute expectationi apud barbaras etiam gentes excitatæ, sub ipsum Pontificatûs initium, respondere vellet insigni aliquo facinore; eum illicò ad se invitatum muneri omnium difficillimo gravissimoque præfecit: ut cum eo ardua quæque Reipublicæ Christianæ negotia, & secretiora ejus benè gerendæ consilia communicaret. Quo in loco quàm cumulatè CLEMENS sapientissimo Alexandri judicio satisfecerit, delata illi intra biennium purpura declaravit.

Quid

Quid deinde in rerum publicarum tractatione, actum ab eo sit tum in Cardinalatu, tum in Pontificatu Maximo, ad quem non hominum solùm consensione, sed Dei ipsius iudicio usque ad miraculum manifesto evectus fuit, quoniam ipse spatiis disclusus iniquis exequi non possum, Vobis, qui & vidistis omnia, & probastis, contemplandum; gratæ verò posteritati æternis laudibus prædicandum relinquo.

Video, commoveri Vos, & iniquo animo ferre, tot res inclytas, quarum plenus est CLEMENTIS Pontificatus, à me tacitas præteriri, quæ in medium prolata huius funeris pompam augustiorem efficerent; ac vehementer mirari, cur, si ne verbum quidem facere volui de pace inter Reges alienissimo Reip. tempore decertantes conciliatâ; de nuper exceptâ Pastoralis charitate Lusitaniâ; de solemnî illâ apotheosi, in qua duo Ecclesiæ cælo nova fidera adjunxit; aliisque huius generis; saltem non ingrediar campum, in quo ingenium Oratoris magna cum laude possit excurrere: Cretam nimirum, ad quam tuendam CLEMENS Christianos Principes, illos etiam, qui cum Romana Ecclesia nondum planè consentiunt, auctoritate, officiisque suis validè armavit. Quo quidem in argumento præ cæteris emereret Regis Christianissimi factum, quod omnium heroicorum temporum gloriam superavit. Dicam verè, quod sentio. Verebar, ne injectâ Cretæ mentione, acceptum in CLEMENTIS morte vulnus recrudesceret: cùm hanc illi Insulæ calamitatem debeamus. Adeò enim de Cretæ defensione sollicitus erat: adeò salutis nostræ causâ negligebat suam; ut nos penè magis amorem CLEMENTIS, quàm barbarorum odia timeremus. Ad ejus verò expugnata nuntium ita concidit optimus Pontifex, ita

ita

ita oppressus est; ut eum paulò pòst morbum contraxerit, ex quo tandem multò majore cum rei Christianæ jacturâ, quàm Cretâ amissâ, decessit. Qui cùm in proximo suo è vita discessu, nihil magis molestum experiretur, quàm interpellari cursum consiliorum à se pro incolumitate publica susceptorum; præclaram iniit rationem, quâ illa perducere ad exitum posset etiam mortuus; cooptatis in amplissimum ordinem Viris, quorum eximiâ probitate, atque excellenti humanarum Divinarumque rerum peritiâ, novum Apostolico Senatui ornamentum, novum præfidium accederet, ad Christianam Rempublicam benè sapienterque administrandam. Ipse interim ex illa æternæ beatitudinis arce oculos non deflectet ab ejusdem Reipublicæ tutelâ: utque ea summæ virtutis & sapientiæ viro, qualem rei magnitudo, & temporum conditio requirit, à Deo quamprimùm per vestra suffragia tradatur, faciliè impetrabit. Quæ sanè res propè est una, quæ viduatæ Ecclesiæ lacrimas possit abstergere, ac persuadere tandem nobis, ut spe futuri Pontificis, extincti desiderium leniamus.

 Errata typographica.

Pag. 46. l. 19. leg. penitens p. 59. l. 1. dele S. D. N. ibid. lin. penult. leg. Sorores p. 96. l. 25. leg. prehensum, p. 96. l. 12. leg. pavere p. 100. l. 23. leg. Altera pars quorum p. 101. l. 9. leg. secuta quietem. p. 102. l. 23. leg. Iris p. 103. l. 3. leg. vulgi p. 104. l. 15. leg. Achaemeniasque ibid. l. 21. leg. Pietas p. 105. & 116. l. ult. leg. videre p. 107. l. 10. leg. pater, p. 108. l. 15. leg. Africa ib. l. 22. leg. Auxur p. 112. l. 6. leg. Apenninigenas ibid. l. 24. leg. lacus p. 113. l. 1. leg. Baccho ibid. l. 12. leg. Ixeta p. 117. l. 12. leg. Apennini p. 118. l. 5. leg. deorum, p. 124. l. 28. leg. Pyracmon p. 125. l. 17. leg. venientum p. 133. l. 5. leg. otia ibid. lin. 16. leg. dedere ib. lin. 17. leg. Scyro p. 135. l. ult. leg. Eneâ p. 139. l. 19. leg. Tethys p. 144. l. 17. leg. Fartoris p. 146. l. ult. leg. Quo Veneri placeat, p. 148. lin. ult. leg. incipiant p. 149. lin. ult. leg. sed tibi gloriæ erit. p. 153. lin. 3. leg. multum p. 155. lin. 1. leg. Gelonæ ibid. l. 9. leg. movere.

P O E.